

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

Level Two Medieval Latin Examination

15 April 2009

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. Einhard: Charlemagne's studies and educational ambitions

Erat eloquentia copiosus et exuberans poteratque quicquid vellet apertissime exprimere. Nec patrio tantum sermone contentus, etiam peregrinis linguis ediscendis operam impendit; in quibus Latinam ita didicit ut aequae illa ac patria lingua orare sit solitus, Graecam vero melius intellegere quam pronuntiare poterat. Adeo quidem facundus erat ut etiam dicaculus appareret. Artes liberales studiosissime coluit, earumque doctores plurimum veneratus magnis adficiebat honoribus. In discenda grammatica Petrum Pisanum diaconem senem audivit, in ceteris disciplinis Albinum cognomento Alcoinum, item diaconem, de Britannia Saxonici generis hominem, virum undecumque doctissimum, praeceptorem habuit, apud quem et rhetoricae et dialecticae, praecipue tamen astronomiae ediscendae plurimum et temporis et laboris impertivit. Discebat artem computandi et intentione sagaci siderum cursum curiosissime rimabatur. Temptabat et scribere tabulasque et codicillos ad hoc in lecto sub cervicalibus circumferre solebat, ut cum vacuum tempus esset manum litteris effigiendis adsuesceret, sed parum successit labor praeposterus ac sero inchoatus.

2. Osbert of Clare, Prior of Westminster, to a nun.

Osbertus, dei misericordia in Westmonasteriensi dictus prior ecclesia, Idae dilectissimae sibi in Christo filiae, ad amplexus sponsi caelestis attingere et regina inter filias Syon a dexteris eius coronata regnare. Cogit me sanctum desiderium tuum, generosa progenies, ut tibi vel breviter aliquid scribam unde religiosi pectoris studium ad amorem supernae glorificationis accendam. Dignius enim est ut quae duplici splendore refulges religionis et generis duplicata litterae testificantis excellentia supra multas sanctimoniae feminas commenderis. De ducibus namque et consulibus carnis trahens originem terrenis praetulisti deliciis regis aeterni nobilitatem; cuius coniugio quaecumque sibi copulata est proficit, nec dispendium suae castitatis sed emolumentum incurrit. De partu namque caelesti nascuntur filii nequaquam ultra morituri, quia sponsa Christi cotidie concipit et cotidie generat, quae verbum bonum, verbum dei, de corde dulcedinis et dilectionis eructat. In illo puerperio nulla parit, in illo dum germinat nulla degenerat, quam sponsi venustas defendit a venere et honesta voluntas ab illicita voluptate. Talem te fieri cupio, splendida et clara virgo.

3. Cavichiolus begs his wife to get with the program.

Desine sponsa tuis nova me uexare querelis!

Desine lacrimulis me macerare tuis!

Non ego, ut aeternum fieres mihi dira flagellum,

Duxi equidem et mores conquerere meos;

Sed quo blanda, decens, morigera, plena pudoris,

Aetatisque fores firma columna meae;

Cresceret inque dies mea (te curante) suppellex;

Vt strueres paruam, fida ministra, casam;

Curaresque graues annos, epulasque parares;

Inque tuo caderet feta senecta sinu.

Ast demum experior quid me monuistis, amici:

AQui capit uxorem, quaeritat ille necem,

Diram id est pestem, despectaque iurgia, fastus,

Perpetuaque cupit uiuere tristitia. @

Heu, dolor, heu scindor, cum talia mente reuoluo,

Et memini antiquas praeditus illecebras.

4. Petrarch, in need of a life, writes once again to a dead guy

Franciscus Petrarca M. Tullio Ciceroni S.P.D. Si te superior offendit epistola (verum enim, ut ipse soles dicere, quod ait familiaris tuus in Andria: AObsequium amicos, veritas odium parit@), accipe quod offensum animum ex parte mulceat, nec semper odiosa sit veritas; quoniam veris reprehensionibus irascimur, veris laudibus delectamur. Tu quidem, Cicero, quod pace tua dixerim, ut homo vixisti, ut orator dixisti, ut philosophus scripsisti. Vitam ego tuam carpsi, non ingenium aut linguam, ut qui illud mirer, hanc stupeam. Neque tamen in vita tua quidquam praeter constantiam requiro, et professioni philosophicae debitum quietis studium, et a civilibus bellis fugam, extincta libertate ac sepulta iam et complorata Republica. Vide ut aliter tecum ago ac tu cum Epicuro multis in locis, sed expressius in libro De Finibus agebas. Eius enim ubilibet vitam probas, rides ingenium. Ego nihil in te rideo, vitae tamen compatior, ut dixi, ingenio gratulor eloquiove. O Romani eloquii summe parens, nec solus ego, sed omnes tibi gratias agimus, quicumque Latinae linguae floribus ornatur.